UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

Tomás <de Jesus>

Coloniæ Agrippinæ, 1684

Capvt XI. Modus per viam affectivam ad divinam vnionem tendendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38621

Visual Library

unitas simplicissima, purus actus, omnipotens virtus, sanctitas exemplaris, sapientia æternalis, causa & ratio omnium Idealis, esse purum in se subsistens, ac separatum universorum principium, prima omnis rectitudinis, omnisque justitiæ, veritatis, & virtutis regula & mensura, ens in quo est omnis nobilitas, omnis pulchritudo, omnis felicitas, ac dulcedo, omnis pietas, & justitia, summa charitas, plena libertas, omnisque perfectio, absque mensura & fine, & protsus simplicissimè, ita ut omnia ista sint unum, unitasque in DEO, scilicet simplicissimum, ac superditissimum ejus esse, tam infinitè incomprehensibiliterque perfectum, ut omnia ista simplicissimè, ac supereminentissimè comprehendat: hæc omnia de DEO excello, ac glorioso limpidè, amorosè, ac congratulatorie contemplari, ad hanc contemplationis speciem attinet.

Nec ab hoc statu aliena est profunda & humilis tetragustissimæ Trinitatis contemplatio, paucis, iisque purissimis, & exercitatissimis animabus concessa. Cujus materiam admodum objecti altissimam, [*lib. 3. de oratione divina cap. 1. §. 3.*] his verbis declaravimus. Ad hanc enim contemplationis speciem pertinet intueri quemadmodum in vero ac simplici DEO, sit æterna, actualissima ac purissima generatio, qualis est emanatio Verbi æterni à Patre summo, qui seipsum perfectè æternaliterque cognoscens ac intuens sui ipsius conceptum, & Verbum æternum in se profert, ac gignit. Quod namque in se, & de se cognoscit, ac intuetur, hoc intra se loquitur ac producit; & quoniam unico actu intelligit seipsum, & omnia perfectè intelligit, idcirco una prolatione internâ, seu generatione mentali, seipsum, & cuncta plenissimè intra se exprimit, & unicum dumtaxat Verbum gignit, quod est ipsius perfecta ac naturalis imago, splendor, ac Filius, omniumque creaturarum exemplar: ideo & ratio atque totius universi forma archetypa in mente divina. De quo S. Augustinus qui negat, inquit, mundum, archetypum negat, & DEI Filium. Hinc in verbo isto æterno tota Patris natura splendet, totaque ejus majestas, ac perfectio repræsentatur in eo. Unde [*lib. 5. de Trinitate* asserit Augustinus] Pater tanquam seipsum dicens genuit Verbum sibi æquale. Amplius ad hanc contemplationis speciem pertinet intueri quemadmodum Pater & Filius se intuentes, invicem volentes, & mutuo incomprehensibiliter, ac supersuavissimè complacentes producunt, & intra se spirant unum increatum, plenum ac infinitum amorem, propriæ amabilitati proportionatum, qui est amor & nexus, osculumque amborum. Quemadmodum enim est Verbum emanatio intellectus, sic amor est emanatio voluntatis. Rursus spectat ad hanc speciem contemplari, quam verè superbeatissima, ac superdeliciosissima hujus altissimæ Trinitatis sit vita, quemadmodum hæ supervenerabiles, supersublimes, ac supersanctæ personæ se mutuo intueantur intuitione penitùs comprehensiva, jucundissimâ, ac æternâ, se invicem quoque diligant, amore superardentissimo, & immenso, sibique mutuo perfectè ac supergaudiose complaceant, atque se invicem supersuperfelicissimè perfruantur, & qualiter sit in eis plena communio, superjucunda diffusio, consistentia supergloriosissima & æterna.

Alia etiâ sunt contemplationis SS. Trinitatis arcana, quæ suppositâ DEI veritate facilè intellecta, voluntatem mirificè inflammant, devotionem augent, maximum animæ fructum adferunt, summa suavitatis dulcedine gustantur, & quod maximi momenti est, animam incensi amoris catenis fixam, & DEO suo colligatam tenent. De quibus [*lib. 4. de contempl. divina cap. 17.*]

CAPVT XI.

Modus per viam affectivam ad divinam unionem tendendi.

DIximus de nobilissima intellectus operatione; quæ in rerum divinarum contemplatione consistens, medium efficacissimum est, ad perfecti amoris cum DEO unionem: indubitatum enim est, perfectiorem DEI notitiam, perfectiorem quoque DEI amorem ingenerare. Nunc de altera voluntatis via agendum est, quæ compendiosius non solum ad cordis puritatem, sed ad amorosam quoque in DEUM transformationem perducit, & propriè orationibus jaculatoriis, actibusque anagogicis perficitur, quæ scintillæ & sagittæ amoris ignitæ, præcipua sunt affectivæ partis exercitia. Verum animadvertere operæpretium est, aspirationes istas affectuosas non solum ex contemplationis cognitione promanare, sed etiam ex fidei, obscura licet, certitudine, quæ DEUM infinitè amabilissimum & dulcissimum docet. Sæpius etiam ex sola confusa, & generali DEI notitia, absque ullo divinarum perfectionum, aut attributorum particulari intellectu, vivacius in istos anagogicos actus, ignitas aspirationes, & æstuantia divinæ unionis, & conjunctionis desideria cor hominis prorumpit.

Cum enim anima jam certo per fidei revelationem sciat, nullatenus se in hac vita DEUM, ut in se est (intellectu nimirum nostro, ad ineffabilis & incomprehensibilis divinæ naturæ tam sublimem notitiam protsus hebete & incapaci) cognoscere posse, cognoscat tamen omni laude, & amore dignissimum. Hac generali & indistincta cognitione sufficienter illustratâ, & convictâ ferventissimis desideriorum suspiriis, tota in amorem resolvi, in eandem DEI voluntatem, eundemque spiritum transformari, toto spiritus, & voluntatis æstu concupisci, totoque corde ad unionem divinam anhelat, & adinstar cæci mensæ assidentis, ea quæ apponuntur videre quodammodo negligens, comedere, & pastu illo cordis divini saturari magis exoptat.

Notandum tamen hic est, quamvis hoc, quod diximus viæ hujus præcipuum sit exercitium, nequaquam tamen illa, quæ circa specialem DEI, & Christi Domini Redemptoris cognitionem, & maximè ipsius erga nos amorem, virtutumque imitationem versantur, omitti omnino debere. Quinimo quando anima obtepuisse se senserit, divini amoris ignem particularibus meditationum exercitiis, quibus magis moveri solet, quasi minutulis quibusdam lignis excitare conabitur, qui mox ubi inarserit, omissis istis particularium motivorum considerationibus, anagogicos actus frequenter eliciat, intercalatis hisce actibus brevi ad actum amoris continuatum, & puram quandam simplicemque DEI contemplationem pertingens, hinc usque ad perfectam cum DEO unionem feliciter pertranseat.